



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XXIII. De Jure circa Scholas & informationem juventutis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

## CAP. XXIII.

De Jure circa Scholas & informationem  
juventutis.

## I.

**J**ulianus Imperator, cum acerbissimas in Christianos inimicitias concepisset, & summam amaritudinem atque omnibus ingenii sui viribus adversus eos pertinacissime uteretur, ut religioni eorum detraxeret & noceret magis, omnem eorum liberis aditum ad gentilium Professorum Scholas ademit. Animadverterat namque, ex ejusmodi Scholis produsse inter Christianos viros disertissimos, & persuadendi facultate insignes, quam in Scholis istis parari existimabat, eamque in perniciem superstitionis gentilitiae applicari, nec posse ergo id evitari meliore successu, quam si Græcorum disciplinis Christiani prorsus prohiberentur. Urebant ejus animum, ait Sozomenus lib. 5. cap. 18. non mediocriter Apollinaris Syrus omni disciplinarum genere instructus, & Basilius Gregoriusque Cappadoces, qui cunctos illius temporis Oratores longè superabant, multique præterea disertissimi viri, quorum alii fidem Nicæni Concilii sequebantur, alii opinionem Arii erant amplexi. Nec destiterunt tamen Christiani ea, quæ jam didicerant, in suos usus vertere, & Græcorum libros, quantum fieri potuit, fidei suæ exprimendæ accommodare. Sic enim de Apollinari referre pergit Sozomenus: Denique ut compendio dicam, sumptis ex Sacra Scriptura argumentis liberalium disciplinarum brevi tempore lucubrationes composuit & numero & præstantiâ æquales iis, qui apud Græcos in eo genere celebres existere, seu genium, seu dictionem, seu formam, seu dispositionem operis spectes. Adeo, ut nisi homines antiquitatem venerari solerent, & ea maxime diligere, quibus assueverunt, Apollinaris libros æquè ac veterum illorum laudaturi essent ac discituri: eoque magis ingenium hominis admiraturi, quod veterum quidem singuli in uno tantum genere doctrinæ versati sunt: hic verò omnia complexus vim ac præstantiam uniuscujusque, ubi usus id postularet, expressit.

II. Putat quidem Cardinalis Baronius ad ann. CCCLXII. num. 289. Julianum Christianos omnes à docendo revocasse, non tamen prohibuisse adolescentes à discendo, eò scilicet quod Christiani docentes ex Gentilibus autoribus deorum inanem prorsus esse cultum argumentis pluribus demonstrabant; atque ita adolescentes à superstitione gentilium sensim avertabant, qui verò retineri in avorum suorum religione possent, si Gentiles auctores à gentilibus Doctoribus magno deorum præconio explicatos



tos audirent. Sed à Baronio totus dissentit, & Gregorium Nazianzenum aduersus eum defendit Richardus Montagu in not. ad dicti Gregorii inuediam orationem 1. pag. 4. Julianum Christianos omnes à disciplinâ Gentilium, non tantum Christianos Doctores à docendo submovisse contendens. Quorsum, inquit inter alia, quibus utitur, argumenta, Apollinaris Syrus, ad imitationem Homeri, Menandri, Sophoclis historias biblicas contexeret, si in Scholis Gentilium à gentilibus professoribus scriptores gentiles cognoscere Christianis licuisset? Occurrere scilicet inopia voluit, Ἐπιτομὴν τῶν ἱστοριῶν ἐκείνων supplere &c. Sanè difficile erit Baronio reclamare tot Viris in Ecclesiâ olim celeberrimis, quos à Nazianzeni partibus stare memorat ipse. Nobis sufficit per exemplum istud ostendisse, multum damni & impedimenti inferri doctrinæ Evangelicæ, si prohibeantur Scholæ & auditoria professorum.

III. In hoc tamen sentio cum Baronio, constitutionem Juliani in l. 5. C. Theodos. de medic. & profess. quam ille recenset d. l. sub num. 286. solum docentes attinuisse, nec ausum tum fuisse eum longius progredi, aut in apertam persecutionem erumpere. Constitutio ipsa longè optima & saluberrima videri potuit, verbisque tam consideratè compositis constat, ut docentium condiciones non accuratius præscribere, neque discipulorum studiis consulere potuisset rectius. At verò monstri quid aluit ista talis constitutio, fuitque hæc vaserimi Legislatoris intentio, ut sub fucatis istis coloribus & figmentis cursum religionis Christianæ attereret, & impediret, eamque subverteret paulatim, & tandem aliquando extingueret. Eaque propter Ammianus Marcellinus lib. 21. inclemens illud & perenni silentio obruendum statuit, quod arceuerit docere Magistros Rhetoricos & Grammaticos ritibus Christiani cultores. Nempe dum suo arbitrio reservatum esse voluit Imperator, quos vellet scientiarum præfici Scholis, artificio hoc facile omnes Christianos à munere docendi excludere potuit.

IV. Tanta cum sit ad Ecclesiæ conservationem & fidei orthodoxæ propagationem Scholarum necessitas & utilitas, jam inde à primis Christianarum rerum principiis receptum fuit, ut teneræ ætati formandæ, sed & Clericis instruendis quærerentur ingenuarum artium & Theologiæ Professores. Nam Paulus ille magnus Ecclesiæ propugnator, alios esse ait in Ecclesiâ Doctores, Pastores alios, nonnullos ministros inferiores. Ephes. IV, 11. Eoque exemplo institutæ deinceps fuerunt in civitatibus amplioribus Scholæ ejusmodi Ecclesiasticæ, in quibus erudiri quis poterat non in Theologicis tantum disciplinis, sed etiam in aliis inferioribus, & quæ ad humaniores pertinent literas. De Scholâ Alexandrinâ & præfecto ejus Pantæno notat digna sunt, quæ scribit Eusebius lib. 5. hist. Eccles. cap. 10. Per idem tempus fidelium Scholæ præerat Vir doctrinæ causâ celeberrimus, nomine Pantænus, quippe jam inde à præcis temporibus sacrarum literarum Schola in eâ civitate fuerat



fuerat instituta, quæ quidem nostrâ adhuc ætate perseverat, & ab hominibus tum eloquentiâ, tum divinarum literarum studio instructissimis obtineri dicitur. Hic ergo Pantenus post multa præclarè gesta tandem Alexandrinæ præfuit Scholæ, ubi partim vivâ voce partim scriptis divinarum dogmatum thesauros exposuit. Ejusdem Scholæ Alexandrinæ meminit idem Eusebius lib. 6. cap. 3. & Antiochenæ, quæ & ipsa celebris fuit, lib. 7. cap. 29.

V. Invaluit deinceps consuetudo, ut non in monasteriis tantum & in Britannia potissimum, sed etiam in Ecclesiis insignioribus in primis vero Cathedralibus Scholæ haberentur, sed quæ intra claustra ferè continebantur, neque extra cujusque Ecclesiæ addictos se porrigebant, adeo ut non facile admitterentur alii. Doctrina ipsa intra levem latinæ linguæ cognitionem & rudimentorum Christianæ fidei explicationem ferè subsistebat, & adungebatur computi Christianistici tum & artis medicæ aliqualis explanationio. Successu tamen temporis etiam alii, qui extra collegia ista erant, admitti cœperunt, & hinc Scholæ illæ, quæ non nisi privatæ hæcenus fuerant, publicæ factæ sunt, quibus deinceps majori autoritate successerunt Academix. Faciunt, huc quæ scribit Albertus Cranzius *metropol. lib. 3. c. 43.* Apud insignes Ecclesias ab antiquo docti Viri fovebantur, qui publicas Scholas sustinerent, priusquam publica literarum gymnasia, quæ nunc multa florent, per Christianismum erigerentur, quæ res apud nostrates penè hæsterna est. Nam nulla est in Saxonia publica Schola, quæ centesimum longè superet annum. -- Sed eâ tempestate, quam nunc explicamus, valuit vetus Ecclesiarum consuetudo, ab usque Origene & Clemente, & primis Ecclesiæ Doctoribus traducta, qui apud memorabiles Ecclesias Antiochiæ & Alexandriæ suis temporibus docuerunt.

VI. Incubuit verò cura hæc præcipuè Episcopis, ut & instituerentur benè & non negligerentur istiusmodi Scholæ, quibus juventus erudiri, & ad Ecclesiæ munia habilis reddi posset. Demetrius Alexandrinus Episcopus Originem adhuc adolescentem Alexandrinæ præfecit Scholæ, ubi Grammaticam primùm & philosophicas disciplinas, mox verò, cum Ecclesiæ illius Doctores propter persecutiones abessent, atq; se occultarent, etiam sacras literas docuit, referente Eusebio lib. 6. c. 3. Ita & Ætherius Lyxoensis Episcopus pueros civitatis suæ collegit & instituendos commisit cuidam clerico, qui se doctorem & literarum professorem dixerat, eoq; nomine vineas ei & reditum assignavit, teste Gregorio Turonensi lib. 6. cap. 36. Idem fecerunt alii, quibus curæ cordiq; fuit, vel clericos suos, quos sæpè satis rudes ecclesiasticis functionibus destinari diximus supra, vel juventutem suæ civitatis benè informari, & animos teneres sapientiæ præceptis maturè componi.

VII. Ea res cum Ecclesiæ rationibus valde conducere putaretur, varia deinceps in Conciliis edita fuerunt decreta, quibus Episcopi, ut Scholas instituerent,



traherent, semetipfos excitabant, suosque simul ad eandem curam admonebant presbyteros. Sed & principum accesserunt edicta, quibus episcopi & presbyteri jubebantur ex officio id intendere, ut magisterio præceptoris ne egeret juvenus Karolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi c. 72. Ut scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, compotum, Grammaticam per singula monasteria vel Episcopata discant, sed & libros catholicos bene emendatos habeant &c. Idem Karolus lib. 2. cap. 5. Scholæ ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promissis & vobis injunximus, in congruis locis, ubi nec dum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur. Et Ludovicus Pius lib. 5. cap. 95. Dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria, sive fores presbyteris, ut fidem catholicam rectè discant & orationem dominicam, ut domi alios edocere valeant. Præ cæteris autem Karoli Magni hoc in scholis erigendis studium maximè commendat epistola generalis, quam de hac materiâ scripsit ad Baugulfum Fuldæ Abbatem, quæque inserta est tom. 2. Concil. Gall. p. 121.

VIII. Ad singularem hanc Karoli Magni & Ludovici pii curam & piam utriusque Principis intentionem sæpè deinceps provocarunt congregati in Conciliis Gallicanis Episcopi. Oportet, ajunt in Concilio Cabilonensi II. c. 3. ut sicut dominus Imperator Carolus, Vir singularis mansuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, justitiæ & temperantiæ præcepit, scholas constituent, in quibus & literaria solertia discipline & sacra scripturæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino: Vos estis sal terræ: & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solum diversis heresibus, verum etiam Anti-Christi monitis & ipsi Anti-Christo resistatur. Et rursus in Concilio Parisiensi VI. lib. 1. c. 30. Jam dudum à pio & orthodoxo principe domno Hludovico DEO amabili Imperatore jussu & admonitum est, ut rectores Ecclesiarum in Ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, quibus DEUS placari posset, prepararent & educarent. -- Sed super hanc ejusdem principis admonitione, imò jussione à nonnullis rectoribus tepide & desidiose hætenus actum est. Unde omnibus nobis visum est, ut ab hinc postposita totius torporis negligentia ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Christi & vigilantior adhibeatur diligentia. Et lib. 3. c. 12. Similiter obnixè ac suppliciter vestra celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis scholæ publicæ ex vestra auctoritate fiant: ut labor patris vestri, & vester per incuriam, quod absit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc factu & magna utilitas & honor sanctæ DEI Ecclesiæ & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet.

IX. Sed ne quid dissimulem, ultimum hoc, quod adduxi, capitulum videtur de alio genere scholarum, eis scilicet quæ Academiis similes sunt, & ex



quibus hæc deinceps natæ fuerunt, accipi debere. Sed & priora illa capitula ad Episcopales tantum scholas, quæ scilicet solis Presbyteris & Clericis patuerunt, referenda esse ipse verborum contextus ostendit, tum verò præcipue additamentum, quod ad calcem d. c. 30. Concilii Paris. VI. legitur his verbis: *Et quando ad provinciale Episcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum, sicut jam in præcedentibus memoratum est, scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, ut suum solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.* De iisdem actum fuit sub Carolo Calvo in concilio Valentino III. c. 18. *Ut de Scholis tam divinæ quàm humanæ literaturæ, nec non & Ecclesiasticæ cantilenæ, juxta exemplum prædecessorum nostrorum, aliquid inter nos tractetur, & si potest fieri, statuatur atque ordinetur, quia ex hujus studii longâ intermissione, pleraque Ecclesiarum DEI loca & ignorantia fidei, & totius scientiæ inopia invasit.* Et sub ejusdem regimine in concilio apud Saponarias c. 10. *Ut Scholæ sanctarum Scripturarum & humanæ quoque literaturæ, unde annis præcedentibus per religiosorum Imperatorum studium magna illuminatio Ecclesiæ & eruditionis utilitas processit, deprecandi sunt pii principes nostri, & omnes fratres & cœpiscopi nostri instantissime commonendi, ut ubicumque omnipotens DEUS idoneos ad docendum, id est, fideliter & veraciter intelligentes donare dignatur, constituantur undique Scholæ publicæ, scilicet, ut utriusque eruditionis & divinæ scilicet & humanæ, in Ecclesiâ DEI fructus valeat accrescere: quia quod nimis dolendum est, & perniciosum maxime, divinæ scripturæ verax & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix ejus extrema vestigia reperiantur. Et idcirco ingenti curâ & studio remedium procurandum est.* Ita scilicet videmus, studium Caroli Magni & Ludovici Pii cum ipsorum personis ferè concidisse, aut contabuisse saltem, ut opus deinde esset iteratâ ipsorum Episcoporum ad se invicem admonitione.

X. Quæ ita in cathedrali Ecclesiâ & per totam diocesin Episcopo incubuit cura, eadem sed minore gradu etiam per parochiam suam commissâ fuit presbytero. Ex Concilio Namnetensi in hanc rem canonem adducit Regino Abbas Prumiensis *de Eccles. discipl. lib. 1. num. 207.* *Unusquisque presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui cantet, & epistolam & lectionem legat, & qui possit Scholam tenere; & admoneat suos parochianos, ut filios suos ad psalterium discendum mittant ad Ecclesiam, quos ipse in omni castitate erudiat.* Simile legitur statutum Ecclesiasticum in Capitulari Theodulfi Episcopi Aurelianensis c. 20. *Presbyteri per villas & vicos Scholas habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere & docere non rennant, sed cum summâ charitate eos doceant. — Cum ergo eos docent, nihil ab eis precii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio suâ voluntate obtulerint.* Idque repetit ejusdem Ecclesiæ Antistes & successor sub n. 6. *Ut unusquisque presbyter*



ter suum habeat Clericum, quem religiose educare procurat; Et si possibiliter illi est, Scholam in Ecclesiâ suâ habere non negligat, solerterq; caveat, ut quos ad erudiendum suscipit, castè sinceriterq; nutriat. Hinc adeo Hincmarus Archiepiscopus Remensis, dum capitula præscripsit, quibus de rebus Magistri & Decani per singulas Ecclesias inquirere & Episcopo renunciare debeant, sub num. 11. presbyterum interrogare jubet, si habeat Clericum, qui possit tenere Scholam, aut legere epistolam, aut canere valeat, prout necessarium sibi videtur.

XI. Præverant his episcoporum specialibus decretis generaliore statuto Patres in Concilio Vasensi II. congregati, qui non unum tantum, sed plures etiam clericos ab uno presbytero summâ cum Ecclesiâ utilitate instrui & informari svident. Sic enim se habet Canon istius Concilii primus: Hoc placuit, ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores Lectores, quantoscunq; sine Uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant: Et eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, psalmos parare, divinis Lectionibus insistere Et in lege Domini erudire contendant, ut Et sibi dignos successores provideant, Et à Domino præmia eterna recipiant. Juniores Lectores hic dicuntur, qui alibi juniores Ecclesiâ, aut etiam simpliciter juniores vocantur, atque illi jam inter Clericos referebantur, uti patet ex Concilio Turonensi II. c. 13. Et c. 20. itemque Karoli Magni cap. lib. 5. tit. 121. Et lib. 6. tit. 154. Natum hinc est vocabulum junioratus, quod de ministerio explicat Petrus de Marca ad can. 7. Concilii Claremontani, de beneficio & præstimonio, quod junioribus Clericis in officii solatium datum fuit, Joh. Bapt. Souchet. ad Ivonis Carnotensis epist. 286.

XII. Ex dictis patet, triplices olim fuisse Scholas. Aliæ enim Presbyteris & Clericis patebant, quæ potissimum in Ecclesiis cathedralibus habebantur. Earumque omnium celeberrimæ seculo Karolino erant in Gallia. Juniores tamen suos Clericos etiam Hispania coërceri & informari eodem modo voluit, uti testatur canon 23. Concilii Toletani IV. Omnis ætas ab adolescentiâ prona est in malum. Nihil enim incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituere oportuit, ut si qui in Clero impuberes aut adolescentium existunt, omnes in uno conclavi commaneant, ut lubrica etatis annos non inluxuriam, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem Et magistrum doctrinæ Et testem vitæ habeant. Sed & Germania suas in Ecclesiis Cathedralibus mox habuit Scholas, uti supra ex Alberti Crazii historiâ ostendi. Invaluitque deinceps, ut uni alicui præbenda hoc solo nomine & ob hunc finem daretur, ut docendi munus gereret, qui magister Scholæ, aliquando scholasticus, caput Scholæ, aut Capischolus dicebatur. De Bennone II. Osnabrugensi Episcopo refert Crazius metrop. lib. 5. cap. 26. præfuisse



fuisse eum Scholæ apud Ecclesiam Hildeshemensem. *Docebant enim, inquit, illâ etate Scholastici sacras literas & habebant, qui subdocerent in trivialibus.* Ita etiam apud Gallos in Rhemenſi Eccleſiâ Fulco Epiſcopus duas reſtituit Scholas, quibus præfuit Remigius Autiſiodoreſis. *Flodoard. lib. 4. cap. 9.* Præfatus denique *Præſul honorabilis Fulco duas Scholas Rbemis Canonorum ſcil. loci, atq. ruralium Clericorum jam penè delapſas reſtituit, & evocato Remigio Autiſiodoreſi Magiſtro liberalium artium ſtudiis adoleſcentes clericos exerceri fecit.* Scholaſtici id munus honorabile admodum fuiſſe teſtis eſt Baldricus Noviomenſis *Chronic. Cameracenſ. lib. 3. cap. 61.* agens de Leelberto, cui Scholaſtici munus commiſerat Gerardus Cameracenſis Epiſcopus. *Et ut amplius, inquit, in ſcientiâ eum confirmaret, regendas ſcholas S. Mariæ matris Eccleſiæ ei commiſit, qui honor propter laborem rarus nobilibus committitur, ſed quanto rarior, tanto magis honorabilior comprobatur.* Ab hoc inſtituto manavit, ut hodieque in quamplurimis Canonorum clauſtris locus aliquis Scholæ habendæ deſtinatus ſuperſit, & ut inter ipſos Canonicos unus aliquis Scholaſtici titulum etiamnum ſuſtineat.

XIII. Erant deinde Scholæ monachorum, quas quidem & ipſas ubique in monaſteriis Regni ſui haberi voluit Karolus Magnus, uti teſtatur ejus epiſtola ſupra adducta; ſed ante ejus ætatem tales Monachorum Scholæ celeberrimæ omnium fuerunt in Britannia, ſexto præfertim, ſeptimo, & octavo ſeculo. Nec enim in Occidente tum quiſquam erat vel doctior vel melior, niſi qui inter Britannicos monachos aliquandiu vixerat, adeo ut ab monachis iſtis Chriſtianæ doctrinæ principia Germanos noſtros primum accepiſſe lubentes fateamur. De Scholis iſtis monachalibus prælati audire Johannem Trithemium in *Chronico Monaſterii Hirſaugienſis*, cujus ſub anno DCCCXC. hæc ſunt verba: *Erat autem his temporibus in monaſteriis noſtri ordinis hæc conſuetudo celeberrima, ut Scholæ monachorum in ſingulis penè cœnobiis haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed monachi moribus & eruditione præſtantes nominatiſſimi, qui non ſolum in divinis ſcripturis docti eſſent, veram etiam in mathematicâ, Aſtronomiâ, Arithmeticâ, Geometriâ, Muſicâ, Rhetoricâ, Poëſi & in cæteris omnibus ſecularis Literaturæ Scientiis erudiſſimi haberentur.* -- -- *Quoties verò idoneum ad hanc ſubeundam provinciam in ſuo cœnobio monachum abbas minime habuiſſet, de aliquo alio monaſterio petere aptum non erat verecundum. Maximum enim dedecus judicabant, dociles animos monachorum negligere, quos ut moribus & literis bene inſtituere poſſent, nullis laboribus, nullis parcebant impenſis. Sic namque doctiſſimus ille monachus Gemblacenſis Sigebertus multo tempore in cœnobio ſancti Vincentii Metenſis, monachorum præceptor, quanquam de alio monaſterio fuit. Ita Strabus monachus Fuldenſis in Hirſfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulauſ, Albinus monachus Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeja, atque alii complures in aliis monaſteriis docendi ad*

tem-



tempus tenuerunt officium, ubi conversionis primordia non sumpserunt. Hæc autem consuetudo sanctissima primam in Angliâ cœpit, ubi venerabilis ille monachus & presbyter Beda monachorum institutor factus multos post se doctissimos reliquit discipulos &c. Concidisse verò istam prorsus disciplinam, & in ruditatem concessisse monasteria, justè conqueritur Claudius Espencæus *digression. lib. 3. cap. 12.*

XIV. Erant denique Scholæ puerorum puellarumque, quas tamen separatim haberi voluit Riculfus Svesvionum Episcopus *in capitulis sub n. 16.* Monemus præterea, ut presbyteri sic ruralibus, id est, terrestribus & cæteris occupationibus inserviant, quatenus divinum officium non negligant, & Scholarios suos modeste distringant, castè nutriant, & sic literis imbuant, ut malâ conversatione non destruant: & puellas ad discendum cum Scholariis suis in Scholâ suâ nequaquam recipiant, & ut turpi lucro & negotiationibus non inserviant. Quantum verò interfit tum Ecclesiæ, tum Reip. juventutem non in bonis literis tantum, sed etiam in pietate educari, plenâ manu testimonia sua conferunt, & consentiunt tum gentilium tum Ecclesiasticorum Scriptorum libri, quorum sententias hic compilare institutum nostrum non patitur.

CAP. XXIV.

*De jure quod Episcopus habet circa Monasteria.*

I.

Quo tempore & unde cœperit, qualesque progressus habuerit vita monastica, quantumque à primis suis institutis degeneraverit, alibi quali per compendium dixi, nec ea ut repetantur, propriè huc pertinent. Per aliquot jam secula & inde à Karoli Magni ætate plurimi tales in cœnobiis extiterunt, qui vitam monasticam infamarunt prorsus, suisque moribus id effecerunt, ut haud frustra crederent alii, vitam monasticam nihilo sanctiorem, imò deteriorem esse vitâ reliquorum Christianorum. Et ex hoc tot ubique querelæ virorum cordatorum, quibus indignum visum fuit, pigros istos & luxui deditos ventres ex bonis illis, quos pietati destinavit antiquitas, nutriri & nihil minùs quàm sanctitatem profiteri, alios verò ad speciem & multâ cum hypocrisi suâ tegere animi vitia, & priscam gravitatem multis simulationum involucris ostentare. *Non locus desertus, inquit autor libelli de duplici martyrio, saccus pro veste, legumen pro cibo, neque jejunia, monachum absolvunt: sub his involucris interdum latet animus valdè mundanus; quod ita deprehenditur, si ad munus aliquod*

B b b b

Eccle-